



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 1. De Essentia Virtutum Theologicarum in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

ARTICULUS I.

De Theologicis Virtutibus;

De his tria potissimum quæri possunt. 1. Quid in genere. 2. Quid quælibet illarum in specie exigat. 3. Quid sit necessitas earundem, quæ quidem quæstiones in sequentibus §§. resolventur.

§. I.

De Essentia Virtutum Theologicarum in genere.

I. Q. 1. *Quid sit Virtus Theologica?* Resp. ex S. Theologia eam nihil aliud esse, quam Habitum infusum per se bene disponitur in ordine ad ultimum finem, cuius objectum formale sit Deus ut Author supernaturalium. Vel brevius, esse Virtutem Supernaturalem infusam, cuius proprium objectum sit aliqua divina perfectio. Quæ definitio ut melius intelligatur, sciendum est ens supernaturale Theologicum in hoc consistere, quod ex intrinseco prædicato ordinat naturam intellectualem formaliter vel tanquam medium ad felicitatem æternam, quæ per Visionem beatitudinis possidetur. Atque in hoc potissimum sensu supernaturalitas in allata definitione accipitur; non autem in sensu Philosophicæ supernaturalitatis, quæ in eo consistit, quod Deo ut supremum Dominium & potestatem dispensationis habente procedat, virésque tam activas, quam passivas agentis creati excedat.

II. Q. 2. *Quot sint Virtutes Theologicae?* Resp. Tres duntaxat numerari à Theologis scilicet Fidem, Spem, & Caritatem; hæ namque sufficient, ut Deo tanquam finem ultimo adhaereamus, dum per Fidem cognoscimus, per Spem concupiscimus per Caritatem apprehendimus, & possidemus ipsum.

III. Q. 3. *Qua sit specialis prerogativa harum virtutum?* Resp. hanc præcipuè, quod quælibet Deum in ratione objecti formalis præferat omnibus in contrarium morventibus; nam Fides præfert veracitatem Dei omnibus cogitantibus

meritum gradentibus illi, quod Deus dixisse creditur. Spes
probabilitatem objecti in divina promissione fundatam o-
mnibus in contrarium inclinantibus præfert. Caritas de-
nique præfert Deum omnibus ab amore illius avertere eo-

IV. Q. 4. Quis sit ordo inter Virtutes has Theologicas

Resp. hunc plerumque statui à Theologis, ut ordine qui-
dem dignitatis & intentionis Caritas prima censeatur; ordi-
ne verò executionis & necessitatis Fides omnes duas antecede-
at, cum hæc sine spe & Caritate subsistere, non autem istæ
sine Fide manere possint; quam ipsam ob causam etiam Spes
Caritati anteponitur.

ARTICULUS II.

De Essentia Fidei.

I. Q. 1. Quid de Virtute Fidei potissimum sciendum
se Resp. Quatuor præcipue. 1. Quid sit Fides. 2. Quo-
modo sit. 3. Quod sit subjectum illius. 4. Quæ vitia eidem
opponantur, quæ proinde quæstiones breviter hoc loco re-
solvuntur. Quare

II. Q. 2. Quid sit Fides? Resp. esse habitum super-
naturalem ad assensus certos & firmos ob auctoritatem DE I
obscure revelantis eliciendos inclinantem; unde objectum
ipsius materiale est omnis veritas revelabilis, præcipue ve-
ro ipse Deus, & vita æterna, quæ objectum attributionis re-
spectu huius habitus statuitur, quibus à quibusdam Recen-
toribus etiam Christus pro objecto partiali principali ad-
scribitur; alii tamen cum Tannero to. 3. d. 1. q. 1. dub. 2. ut
solum Deum pro adæquato objecto attributionis assi-
gnant, & hanc sententiam S. Thomæ menti conformiorem
esse contendunt. Objectum verò formale juxta communio-
nem sententiam S. Thomæ & aliorum apud Tann. l. c. du. 3.
n. 1. & seq. est partim ipsa veracitas divina, partim locutio
Dei tum interna (seu conceptus, quem Deus format de ve-
ritate credenda) tum externa (seu signa externa, quibus
conceptum suum manifestat) eaque obscura, atque, ut idem
Auctor cum multis contra multos existimat, etiam privata,
qualis interdum Sanctis quibusdam facta est, cum in hoc